



II CERTAMEN URBIS - MMXIII

Indirizzo classico-scientifico fascia biennio

Il candidato, dopo aver tradotto il testo, analizzi l'uso di «quibus» nella seconda linea e di «cum» nella nona e tredicesima linea

LE ETÀ DI ROMA

Nam et Aegyptios et Persas et Graecos et Assyrios proditum est regimen habuisse terrarum; quibus omnibus destructis ad Romanos quoque rerum summa pervenit, qui, quanto ceteris omnibus regnis magnitudine antestant, tanto maiore decident lapsu, quia plus habent ponderis ad ruinam quae sunt ceteris altiora. Non inscite Seneca Romanae urbis tempora distribuit in aetates: primam enim dixit infantiam sub rege Romulo fuisse, a quo et genita et quasi educata sit Roma; deinde pueritiam sub ceteris regibus, a quibus et aucta sit et disciplinis pluribus institutisque formata; at vero, Tarquinio regnante, cum iam quasi adulta esse coepisset, servitium non tulisse et, reiecto superbae dominationis iugo, maluisse legibus obtemperare quam regibus; cumque esset adolescentia eius fine Punici belli terminata, tum denique confirmatis viribus coepisse iuvenescere. Sublata enim Carthagine, quae diu aemula imperii fuit, manus suas in totum orbem terra marique porrexit, donec regibus cunctis et nationibus subiugatis, cum iam bellorum materia deficeret, viribus suis male uteretur, quibus se ipsa confecit. Haec fuit prima eius senectus, cum bellis lacerata civilibus atque intestino malo pressa rursus ad regimen singularis imperii recidit quasi ad alteram infantiam revoluta. Amissa enim libertate, quam Bruto duce et auctore defenderat, ita consenuit, tamquam sustentare se ipsa non valeret, nisi adminiculo regentium niteretur.

(Lucio Cecilio Firmiano Lattanzio, *Divinae Institutiones*, VII, 15, 14)

Indirizzo classico-scientifico

fascia triennio

Il candidato, dopo aver tradotto il testo, ne puntualizzi anche con un breve commento storico-linguistico l'attualità

IL VALORE DELLE LEGGI

Atque ille me orare atque obsecrare coepit ne sese lege defenderem. Cum ego quae mihi videbantur dicerem, traduxit me ad suam sententiam; adfirmabat enim lacrimans non se cupidiorum esse civitatis retinendae quam existimationis. Morem homini gessi et tamen idcirco feci – neque enim id semper facere debemus – quod videbam per se ipsam causam sine lege copiosissime posse defendi. [...] Neque me illa oratio commovet, quod ait Attius indignum esse facinus, si senator iudicio quempiam circumvenerit, legibus eum teneri; si eques Romanus hoc idem fecerit, non teneri. Ut tibi concedam hoc indignum esse quod cuius modi sit iam videro, tu mihi concedas necesse est multo esse indignius in ea civitate quae legibus contineatur discedi ab legibus. Hoc enim vinculum est huius dignitatis qua fruimur in re publica, hoc fundamentum libertatis, hic fons aequitatis; mens et animus et consilium et sententia civitatis posita est in legibus. Ut corpora nostra sine mente, sic civitas sine lege suis partibus ut nervis ac sanguine et membris uti non potest. Legum ministri magistratus, legum interpretes iudices, legum denique idcirco omnes servi sumus ut liberi esse possimus. [...] Iniquum tibi videtur, Atti, esse non isdem legibus omni teneri. Primum, ut id iniquissimum esse confitear, eius modi est ut commutatis eis opus sit legibus, non ut his quae sunt non pareamus. Deinde quis umquam hoc senator recusavit ne, cum altiore gradum dignitatis beneficio populi Romani esset consecutus, eo se putaret durioribus legum condicionibus uti oportere? Quam multa sunt commoda quibus caremus, quam multa molesta et difficilia quae subimus! Atque haec omnia tamen honoris et amplitudinis commodo compensantur.

(Cicerone, *Pro Aulo Cluentio*, 144-146, 150)

Indirizzo artistico

Il candidato, dopo aver riflettuto su questo passo, elabori un testo grafico con tecnica a matita, in bianco e nero o a colori

«Dunque – disse Scipione l’Africano – la Repubblica è la cosa del popolo, e popolo non è ogni unione di uomini raggruppata a caso come un gregge, ma l’unione di una moltitudine stretta in società dal comune sentimento del diritto e dalla condivisione dell’utile collettivo. E la prima causa di quell’associarsi è non tanto la debolezza, quanto una sorta di naturale istinto degli uomini direi quasi all’aggregazione. La causa di quell’associarsi non furono gli sbranamenti delle fiere, ma piuttosto il carattere insito nel genere umano, e perciò gli uomini si erano raggruppati fra loro, perché la loro natura rifugge dalla solitudine e ricerca la partecipazione alla vita associata. [...] Quindi in nessun’altra città se non in quella in cui sommo è il potere del popolo in alcun modo ha la sua sede la libertà, di cui nulla può esserci di più dolce e che se non è perfetta uguaglianza non è neppure libertà».

(Cicerone, *De re publica*)